

ERYCI PVTEANI

Consiliarij ac Historiographi Regij

AD GVIL. DE BLITTERSWYCK,

EX-SCABINVM BRVXELLESEM.

De Idea Principis Politici Christiani.

EPISTOLA.



DEAM Principis Politici Christiani, amice-
nissimis Symbolis, doctissimisque Dis-
sertationibus ornatam accepi; dubius,
postquam inspicere cœpi, ab Opere Au-
ctorem, an magis ab Auctore Opus ad-
mirarer. Hoc singulare & eximium planè

est, omnisque prudentiæ, ac doctrinæ facundissimum si-
mulacrum. Ille omni laude major, humani modum in-
genij excedit. Minus est, quod vel Nobilitas, vel Digni-
tas, vel Fortuna dedit. His tamen singulis Summum
SAAVEDRAM esse, mille & mille jam linguis fama loqui-
tur. Et quis aptior Paci tractandæ erat? Rex noster tali Vi-
ro potens est; quia totâ, vt sic dicam, Pallade armatus.
Etiam in verbis arma esse, hæc Symbola prorsus divina
ostendunt. Eæ igitur deliciæ meæ erunt, & vel ipsas cu-
ras mitigabunt. Sic etiam tantum Virum compellare
meis audebo Litteris, ac cæleste ingenium ejus familia-
riùs incipiam venerari. Aliunde jam scribam? Satis ista,
vt epistolam faciant. Vale, & me amare perge. Lovanij, in
Arce, v. Non. Octob. 1610. XLIII.



EIVS-

EIVSDEM AD AVCTOREM
IDEÆ PRINCIPIS POLITICI CHRISTIANI.

ILL.^{ME.} AC EXC.^{ME.} DOMINE.

Pallas Decus, Spes & Fiducia Pacis.

Scribendi libertatem ab ingenio tuo planè diuino, & ab humanitate, blandissimo Virtutum omnium ornamento sumo. Ingenium quidem cælesti quodam lumine in SYMBOLIS POLITICIS resplendens, ita pectus penetravit meum, vt inflammatus sim, Amorisque delicias ab hoc igni deriuem. Humanitas accedit, illa Sapientiæ aura, Eruditionis anima, & Amorem ad familiaritatem impellit. Video, video, quicquid Sapientiæ est, quicquid Eruditionis, in his Imaginibus, in his Dissertationibus; nec minùs doceor, quàm oblector. Cedant picturæ aliæ: hic nobis Apelles est, qui ingenio & lineas, & colores omnes vincit. Cedant libri: hic nobis Scriptor est, qui eloquio totam complexus Sophiam, vnus perfectam PRINCIPIS POLITICI CHRISTIANI IDEAM efformat. Nihil amœnius, nihil vtilius: vbi flores, simul fructus sunt: in horto horreum, in horreo hortus. Inueniunt oculi delicias suas, diuitias animus, & expleri potest. Quam nihil igitur PARADIVS, qui Symbola scripsit Heroïca, passimque æstimatur, in medium protulit: quàm multa etiam malè. Reliqui, constituere hanc amœnitatem conati sunt, vix ausi vsurpare. Nimirum summo hîc ingenio opus, quod natura TIBI dedit; summâ eruditione, quam industria, rerum, & studiorum vsus. Tua hæc gloria est, ô Virorum Phœnix, qui vno Volumine, centumque Symbolis comprehendere potuisti, quod aliorum mille libri non exhibeant.

beant. Hic est, quicquid vbiq̄ue est, quicquid vetusta & nostra tempora habent, sacra & profana. Exempla velut lumina sunt, sententiæ velut gemmæ, Opus totum non nisi aurum, in omni doctrinæ censu, & ab omnibus, etiam posteris, æstimandum. Prodeat igitur, vt publicum sit; vt Principes omnes doceat, quomodo verè Principes sint; se, aliosq̄ue regant; felices sint, felices verò alios suo non minùs Exemplo, quàm Imperio faciant. Hoc meum nunc votum est; sed tuum beneficium, quod tuo ingenio tuæque Eruditioni & Principes, & Populi acceptum ferent. Ita vale Excellentissime DOMINE, & vt Amorem Cultumq̄ue Æternitati tuæ dedicem, hoc ingenij mei munusculum, velut pignus, admitte. Lovanij, in Arce Regia, Prid. Nonas Octob. ∞ . 15C. XLIII.

Auctoris Responsum.

AMPLISSIME ET CLARISSIME VIR,

Musarum vnica Gemma.

HÆc perlustrantis Orbem pulcherrima merces, vt quemadmodum in nova fulgentia sydera, ita in celebres, & illustres viros incidat, prout mihi jam contigit. Etsi enim divinum tui animi vultum doctissima opera depinxerant (calamus enim genij & ingenij penicillus est:) cultum tamen & familiaritatem inuida longinquitas averterat; sed cùm in has Provincias perueni, propiusq̄ue ad te accessi, hæc à benignâ humanitate tuâ merui, & jam Amicum experior, tuâque doctissimâ & amabili epistolâ decoratus sum, eâ elegantia, ac venusto styli cultu exaratâ, vt si ab eâ laudes in Symbola mea Politica collatas amouere liceret, millies legerem: sed prohibet



pudor.

pudor. Laudari à laudato, magnæ existimationis est, sed à te laudato & Eruditissimo Viro maximæ quidem, velut gloriosum & ære perennius monumentum: Quidquid enim profers, auidè Typi Plantiniani excipiunt, & æternitati vouent, & consecrant. Sed licèt impares laudes potiùs oneri quàm honori sint, has tamen velut tuæ ardentis beneuolentiæ & amicitiaë indices veneror. Abundas laudibus, & tibi & alijs, & non absque fœnore & vsura famæ eas impertiri potes, quia cùm reliquos laudas, ipso met singulari laudandi stylo & facundiâ te omnibus laudandum præbes.

Vnà cum epistolâ tuâ accepi Libellum DE BISSEXTO, munus quidem cæleste, mihi gratissimum. In eo Arbiter Cælorum & temporum vias Solis metiris, annumque componis; & licet superni illius Orbis fabrica magis opiniononi quàm scientiæ subjaceat, ita compositam crediderim: sin minùs, diuinæ sapientiæ æmulus, quomodo posset aliter construi, ostendis edocèsque. Nec minùs mihi gratus alter libellus simul compactus, cujus titulus VNVS ET OMNIS. Symbolum enim est tui diuini ingenij, in quo vno omnia sunt: scilicet quicquid doctrinæ & scientiarum singuli docti Viri hucusquè labore, studio, & ingenio imbiberunt, in te collectum suspicimus, & miramur. Viue igitur feliciter, diuque, ô hujus æui, & futurorum gloria, & Patriæ decus, vt à te vno omnes doceamur, & me ama. Bruxellæ XIII. Octobris CIO. CIC. XLIII.